

bati sancti: sed eius loco, in principio Horarum post *Gloria Patri* dicitur *Laus tibi Domine* etc., quae verba super Psalterium in tabula inscripta videantur.

1308. Tacetur etiam *Alleluia* in Officio et Missa ubicumque hoc tempore invenitur.

1309. Pro unaquaque harum Dominicarum, Altaria ornamentis violaceis parantur, quod etiam de vestimentis sacerdotalibus quoad colorem servatur; nec ornentur floribus, etc.

1310. In Officio harum Dominicarum, exceptis festis Sanctorum primae classis, usque ad Dominicam Palmarum inclusive, loco Hymni *Te Deum* etc. dicitur nonum Responsorium: Psalmus primus ad Laudes erit *Miserere*, secundus *Confitemini*, et in fine Laudum dicuntur Suffragia Sanctorum. Ad Primam, loco Psalmi *Confitemini* dicitur *Dominus regnavit* cum Symbolo *Quicumque* etc., et habentur Preces.

1311. De dictis Dominicis semper oportet peragi Officium, ac propterea quodcumque festum occurrens est transferendum, nisi fuerit duplex primae classis; et tunc de Dominica fit tantum Commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa, cum nona Lectione de Homilia ad Matutinum, et Evangelium in fine Missae¹.

1312. In his Dominicis dicitur Missa propria, *Credo*, sine *Gloria*; secunda Oratio ante Purificationem vel ipsa die Purificationis est: *Deus, qui salutis aeternae*, tertia *Ecclesiae* vel pro Papa. Post Purificationem secunda Oratio est: *A cunctis*, tertia ad libitum.

¹ S. Rit. C. 26 Novemb. 173

1313. Tractus in Missis de Tempore a Dominica Septuagesima usque ad Feriam IV Cinerum non dicitur, nisi in Dominicis; in Feriis, in quibus Missa Dominicae repetitur, dicitur tantum Graduale; et in hoc casu *Credo* non dicitur et Praefatio est communis et non de Trinitate. In fine Missae: *Benedicamus Domino*. Post Graduale dicitur, omissis *Alleluia* et *Ÿ*. sequenti, Tractus etiam in festis Sanctorum, sive proprius sive ex Communi.

1314. Si Dominica Septuagesimae venerit ante festum Purificationis vel ipsa die Purificationis, Secreta de S. Maria erit *Tua Domine*, ut in eiusdem Missa votiva, et non *Mentibus nostris*, utpote quae coincidit cum Oratione huius Dominicae.

CAPUT IV.

DE FERIA IV ET BENEDICTIONE CINERUM.

1315. Feria IV Cinerum est Feria privilegiata et nulli festo ne primae classis quidem cedit, neque Missas votivas solemnes etiam pro re gravi admittit. Hac tamen Feria Missa exequialis, corpore praesente, et etiam pridie sepulto, cantari permittitur. Vid. n. 992.

1316. Ad Altare ponitur vas ex decenti materia cum cineribus ex Ramis praecedenti anno in Dominica Palmarum benedictis, combustis et subtiliter cribratis et aridis in modum pulveris et non in modum luti¹,

¹ S. Rit. C. 23 Maii 1603, in una Egitanien.

coopertum vel operculo consimili vel velo violaceo, inter Missale et cornu Epistolae. Antependium est violacei coloris. In credentia, praeter res consuetas, paratur Calix cum velo et bursa coloris violacei, Manipulus et Planeta violacea, aqua benedicta, thuribulum et navicula, pelvis et urceus ad lavandas manus post Cinerum distributionem.

1317. Praeparatis omnibus et accensis sex cereis in Altari absque floribus aliisque ornamentis festivis, dicta in Choro Nona ¹, Celebrans in Sacristia, lotis manibus, accipit Amictum, Albam, Cingulum, Stolum et Pluviale violacei coloris. Deinde proceditur, facta Cruci in Sacristia profunda reverentia, ad Altare maius. Praecedit Thuriferarius, manibus iunctis, et subsequitur Celebrans, tecto capite, medius inter primum et secundum Acolythum.

1318. Celebrans, facta cum Clericis debita reverentia aut respective genuflexione, ascendit Altare, medius inter primum et secundum Clericum, et osculatur illud in medio; interim Thuriferarius discooperit Cineres. Celebrans accedit ad cornu Epistolae, et ex Missali recitat absque signo Crucis Antiphonam: *Exaudi* etc., quae a Choro eodem tempore cantatur in tono feriali. Interim Thuriferarius praeparat thuribulum cum igne. Repetita Antiphona, Celebrans stans ibidem, non se vertens ad populum, dicit iunctis manibus: *Dominus vobiscum*, et postmodum subiungit quatuor Orationes in tono feriali.

1319. Dum dicitur quarta Oratio, secundus Acolythus, facta genuflexione Altari, accipit vas aquae bene-

¹ Ex Rubr. et Decret. S. Rit. C.

dictae et una cum Thuriferario accedit ad Celebrantem, qui ministerio primi Acolythi imponit incensum in thuribulo, et deinde aspergit et thurificat Cineres de more.

1320. Expleta benedictione, Celebrans redit ad medium Altaris, ubi dignior de Choro, ut in distributione Candelarum (vide n. 1281), sine mantello et Stola accedens ad Altare, imponit Cineres Celebranti, qui stabit capite inclinato et facie versa ad populum, dicendo: *Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.*

1321. Quo facto, Celebrans imponit Cineres omnibus Fratribus dispositis et genuflexis super ora suppedanei, primum digniori a quo ipse accepit, stante si est Praelatus, secus genuflexo, ut dictum est supra num. 1281, dicens: *Memento homo* etc. Deinde, facta Altari reverentia, accedit ad cancellos Presbyterii e cornu Epistolae et imponit Cineres primo viris, deinde feminis. Dum Cineres imponuntur, primus Acolythus a dextris stans elevat partem anteriorem Pluvialis manu sinistra, et secundus Acolythus manu dextra vas Cinerum sustinet. Interea a Choro cantatur Antiphona: *Immutemur* etc.

1322. Completa impositione Cinerum, Celebrans lavat manus et tergit in plano Epistolae. Deinde ascendit Altare per gradus laterales, sistens ut prius ad latus Epistolae. Ibidem facie ad Altare versa, dicit manibus iunctis: *Dominus vobiscum* et Orationem: *Concede nobis Domine*, etc., et facta ibidem reverentia Altari per viam brevioris descendit in planum Epistolae, ubi prope credentiam, adiuvantibus suis Clericis, deponit Pluviale et accipit Manipulum et Planetam. Interim primus Aco-

lythus defert Calicem ad Altare, et expanso Corporali in medio eius, aptat Calicem super illud.

1323. Celebrans deinde procedit ad Missam, in qua omnia ut in Missali peragit, Clerico uno inserviente.

1324. Completa Missa, Celebrans redit, praecedente Clerico, in Sacristiam, ubi depositis paramentis, Deo gratias agit. Clerici reportant omnia in Sacristiam et recondunt.

1325. Quilibet Sacerdos, expleta Missa privata, sacris indutus paramentis potest Cineres distribuere, non autem sibimetipsi imponere¹.

1326. De benedictione Cinerum coram SS. Sacramento exposito, valent quae dicta sunt de benedictione Candelarum num. 1302.

CAPUT V.

DE TEMPORE QUADRAGESIMALI.

1327. Sabbato ante Dominicam primam Quadragesimae et deinceps usque ad Pascha, exceptis diebus Dominicis tantum, in Choro Vesperae dicuntur ante comestionem, quod laudabiliter fit etiam extra Chorum. Tunc in Sabbato *Ave Regina* dicitur stando, sed Salutatio angelica in meridie dicitur flexis genibus ad lucrandas Indulgentias, quum quoad ipsam ritus standi incipiat hora consueta.

1328. In Ecclesiis ubi quadragesimalis concio habetur circa undecimam horam antemeridianam, simulque

¹ S. Rit. C. 16 Martii 1833, in Veron. ad 5.

obligatio ad Chorum viget, Vesperae nequeunt persolvi ante concionem, sed omnino post ipsam persolvendae sunt, ut disciplina et ritus ab Ecclesia praescriptus servetur.

1329. Color paramentorum Ecclesiae et Sacristiae in diebus Dominicis et Feriis Quadragesimae est violaceus, nec flores, nec statuae, aut Reliquiae super Altare ponantur: Dominica tamen *Laelare* excepta, quae flores, Reliquias et alios ornatus non excludit.

1330. Per Quadragesimam, in omnibus festis etiam primae classis legitur nona Lectio de Homilia Ferae currentis, et fit Commemoratio Ferae in Laudibus et Vesperis et Missa, in qua et dicitur ultimum Evangelium Ferae. Pro Commemoratione Ferae ad Postcommunionem, non dicitur Oratio super populum, sed ipsa Postcommunio Ferae: Oratio super populum non dicitur nisi in Missa feriali. In Missis votivis fit Commemoratio Ferae, sed in fine legitur Evangelium S. Ioannis.

1331. Sabbato ante Dominicam Passionis, ante Vesperas, Cruces et imagines Sanctorum per Ecclesiam velantur velis violaceis, absque ulla in eis depicta Cruce vel imagine, etiam repraesentante Passionem Domini; et detegi nequeunt quocumque festo solemniter occurrente, licet Titularis, Patroni, etc., aliaque quacumque de causa¹. Cruces detegi non possunt, nisi detecta Cruce Arae maioris in Parasceve, et imagines non ante *Gloria in excelsis* in Sabbato sancto, iuxta Decreta. Licet tamen in eiusdem solemnitate detegere et exponere SS. Reliquias.

¹ S. Rit. C. 4 Aug. 1663, in una Dalmat.: et 16 Novemb. 1649.

1332. In festo Septem Dolorum B. M. V., permittitur expositio Matris dolorosae in Altari ¹.

1333. A Vesperis huius Sabbati cessant Commemoratio de Cruce et Suffragia Sanctorum, sed Preces ad Primam et Completorium dicuntur. In Officio de Tempore (non de Sanctis) omittitur *Gloria Patri* post Psalmum *Venite exsultemus*, et simul pars sequens Invitatorii, ita ut post Versiculum *Quadraginta annis* Invitatorium bis integrum dicatur, primo quidem totum a Choro, secundo autem partim ab Acolythis, partim a Choro. Omittitur etiam *Gloria Patri* in Responsoriis post Lectiones, cuius loco repetitur Responsorium usque ad Versiculum; item omittitur in Responsoriis brevibus Horarum et Completorii.

1334. In Missis de Tempore, non de festis nec in votivis, omittitur Psalmus *Iudica*, et *Gloria Patri* ad Introitum et *Lavabo*, et ad *Asperges* in Dominica. (In administratione SS. Viatici servetur Rituale.) Praefatio dicitur de Cruce usque ad Feriam quintam maioris Hebdomadae inclusive, etiam in festis Sanctorum et Missis votivis, nisi propriam habeant. In Missa de Feria, a Dominica Passionis usque ad Feriam quartam maioris Hebdomadae, Orationi diei additur altera *Ecclesiae* vel pro Papa, non exclusa tamen Oratione imperata. Si vero adest aliqua Commemoratio simplicis vel instar simplicis, praetermittitur Oratio *Ecclesiae* vel pro Papa.

1335. Dominica prima Quadragesimae, Passionis et Palmarum cum tota Hebdomada maiori reputantur tanquam primae classis, et excludunt quodcumque festum,

¹ S. Rit. C. 21 Mart. 1744, in Bergomen. ad 6.

etiam Patroni vel Titularis, seu Dedicationis propriae Ecclesiae. In Ecclesiis tamen, ubi Dominica Passionis incidat titulus Ecclesiae, et concursus populi ad celebrandum festum, quod transferri debet, est ingens, potest celebrari Missa una solemniter de festo, dummodo, si adest obligatio Chori, saltem una de Dominica celebretur: et dicitur in Missa de festo Psalmus *Iudica*, *Gloria*, *Credo*, item Praefatio de eodem festo, si propriam habeat, sine ulla Commemoratione, et in fine Evangelium S. Ioannis ¹.

1336. Officiis votivis ad libitum a SS. D. N. Leone XIII concessis non est locus tempore Passionis.

CAPUT VI.

DE HEBDOMADA MAIORI.

1337. Haec Hebdomada dicitur maior, quia sanctior est apud Fideles totius anni hebdomada, unde per antonomasiam Hebdomada sancta vocatur, quia maiora divinae erga nos charitatis monumenta in illa recoluntur.

1338. A Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive prohibentur Missae de Requie, excepta una solemniter pro sepultura Defuncti, quae tamen in Coena Domini, in Parasceve, Sabbato sancto et in die Paschae dici nequit ².

1339. Item prohibentur Missae votivae privatae a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis

¹ S. Rit. C. 23 Aug. 1701.

² S. Rit. C. 11 Aug. 1736, in Placent.